

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Maire, Etienne - candidat / Bassuel,
Pierre - président. - De hypopio**

1757.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ***

Cote : ms 2342, n°56



MEMORIAE PERPETUAE
ILLUSTRIS. DOM. DE LA PEYRONIE
DUM VIVERET
GALLIARUM REGIS CHIRIATRI PRIMARIJ
REGI A CONSILIIS MEDICIS, &c.
AD POSTERITATEM
MUNIFICENCIA IN PATRIAM CIVIS MERITISSIMI.





MEMORIAE PERPETUAE
ILLUSTRI DOM. DE LAPEYRONIE
DUM VIVRET
GALLIARUM REGIS CHIRIATRI PRIMARIO
REGI A CONSILII MEDICIS, &c.
A POSTERITATE
MUNIFICENTIA IN PATRIAM CIVIS MERITISSIMA

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

DE HYPPIO.



CULOS plurimis diversisque morbis obnoxios esse neminem latet. Eos inter alii palpebras vel cilia, alique vias lachrymis in nares deducendis aptas, ipsumve bulbum, afficiunt. Pyosis, seu oculi abcessus ad posterius illud morborum genus referri debet. Unguem, Diapyesim & Hypopion complectitur. Unguis seu Onix puris est congestio inter corneæ pellucidæ lamellas; Diapyesis abcessus esse dicitur ponè uveam positus; Hypopion verò puris est collectio sub corneâ, ubi secundùm naturam aqueus humor occurrit. Illius morbi causas signa, symptomata curationemque prosecuturi, brevem oculi Anatomem præmittendam esse necessarium duximus.

BULBUS oculi membranis constat & humoribus. Membranae tres sunt numero, scilicet Sclerotica, Choroïdea & Retina. Sclerotica crassius atque exterius bulbi involucrum, illum penitus circumvolvitur. Duas in partes vulgò dividitur, posteriorem nempe majorem, quæ Sclerotica, Corneave Opaca dicitur, & anteriorem, minorem, Corneæ Pellucidæ nomine insignitam. Sclerotica propriè dicta, densa, albicans, compacta, plurimis irrigua vasis, nervisque dives, structuram ferè inextricabilem exhibet, atque majus sphaeræ segmentum æmulator. Illius crassities à posteriore ad anteriorem bulbi partem sensim decrescit. Pediculum insuper habet nerveum, posteriusque situm, qui nihil aliud est, quam nervi optici bulbum penetrantis extremum. Anteriori scleroticæ parti cornea

4

respondet, pellucida, crassior, conspicuis pervia poris (a), plurimisque lamellis arte facili separandis (b) coagmentata. Cornea pellucida in modum segmenti spheræ minoris, majori spheræ appositæ, elevatur, eaque nervo optico directè appositæ videtur, licet illius nervi insertio, inferior simul (c) & interior, illius centro non respondeat. Corneam pellucidam scleroticæ partem esse, uno fere ore asserunt anatomici: diversissimam tamen illarum esse structuram patet, tum ex iis quæ de utrâque diximus, tum ex eo quod (d) sclerotica ossea in avibus, cartilagineaque in piscibus deprehendatur, & cornea pellucida eandem ac in homine structuram, in utroque animalium genere, sibi vindicet. Aliundè corneam pellucidam scleroticæ tantummodò adhaerere faciliè demonstrari potest. Si enim oculus integer, per plures dies, in aquâ communi macerandus relinquatur, atque ferventi aquæ per aliquot minutæ secundas immergatur, facilis erit scleroticæ à corneâ separatio. Scleroticam à durâ matre, nervum opticum succingente, atque in membranam rursus expansâ originem suam ducere vulgaris est opinio, cui quidem præter (e) Fallopii, atque celeberrimi (f) Winslow sententiam, adversantur illustrissimi Demours Medicus & Ophtalmiatri Parisiensis observationes suprà expositæ.

CHOROIDEA altera bulbi tunica, scleroticæ ubiquè subjacet. Summè tenuis, in duas tamen abit

(a) Vid. Act. Reg. Sc. Acad. an. 1721 pag. 310.

(b) Oculus probè denudatus sic comprimatur, ut cornea maximam acquirat tensionem, tuncque subtilissimâ aciculâ summa illius superficies feriatur vulnuscule punctim inflicto, dissiliet elastica pellicula, rimæque nascetur: si cornea per eam rimam iterum pungatur, altera dissiliet pellicula, novaque nascetur rimæ, & idem fiet centies, si centies pepugeris. Ex Academicis Boërhaave prælectionibus. tom. IV. p. 272.

(c) Winslow, *Traité de la Tête*. §. 227. Nervi optici extremitatena pupillæ directè obversari crediderunt Veteres: Verheyen deindè tradidit eundem nervum inferiora versùs, globo implantari; Boërhaaveque locum hujus ingressus ratione altitudinis, esse in medio, sed ratione latitudinis ità situm esse, ut ferè hæreat in tertiâ parte distantie ab angulo interno oculi, in diametro metiente oculi latitudinem. Vid. Verheyen, *Corp. Hum. Anat. Tract. IV. Cap. XIV. p. 427.* Boërhaave. *Inst. Med.* §. 525.

(d) Consul. ea quæ de corneæ structurâ, cum Reg. Scient. Academ. communicavit D. Demours Medicus & Ophtalmiater Parisiensis Illustrissimus, an. 1741.

(e) Observ. pag. 213.

(f) Loc. cit. §. 225.

5
lamellas quæ non nisi post diuturniorem in aquâ communi
macerationem [a] à se ipsis in homine separari possunt. La-
mellarum interior, Rhuischiana nuncupata, fusco humore
successu temporis ad nigredinem vergente, totamque veluti
choroïdeam inficiente, intus illinitur. Vasa plurima, sangui-
nea, atque in modum vorticis disposita inter illius membra-
næ lamellas ubique ferè occurrunt. Exterior choroïdæ la-
mella, interiori sclerotics superficiei communium vasculo-
rum ope annectitur; mutua verò illarum adhæssio propè cor-
neam pellucidam major est: fit autem ope circuli cujusdam
albicantis, latitudinis [b] inæqualis, quem ligamentum cilia-
re vocant. Choroïdæ à scleroticâ hoc in loco secedit, & in
modum septi transversî replicata uveam constituit, quæ medio
circiter foramine, pupillâ dicto, perforatur. Anterior uveæ
superficies variis distincta coloribus iridem quodam modo
refert, posterior verò fusco nigrescente humore illita, fibras
radiatim dispositas striis albicantibus vel sub rubris distinctas
exhibet. Fibræ prædictæ, ciliares processus appellantur.
Non eadem est uveæ ac choroïdæ structura; uvea namque
fibris muscularibus radiatim dispositis instruitur. Fibras quo-
que circulares, in mediâ illius crassitie supposuerunt Anato-
mici plerique, licet illas nondum detexerint. Eas tandem in
bove [c] vidit Medicus & Ophthalmiater peritissimus, & audi-
toribus suis demonstravit. Fasciolam semilineam latam
constituunt, quæ tenui prius abrasâ quâ includitur mem-
branâ, facile conspici potest.

RETINA tandem tertia & interior bulbi membrana,
interiorem choroïdæ superficiem induit. Pulposa est & vas-
culosa, atque propè ligamentum ciliare terminari videtur,
licet inter processus ciliares usque ad lentis cristallinæ peri-
feriam progrediatur, annotante celeberr. Winslow. [d]

TRES in interiore bulbi parte continentur humores, vi-
treus scilicet, cristallinus & aqueus. Vitreus humor postero-

[a] Vide Boërhaave Prælect. Academ. cum Notis Haller. Tom. IV. pag. 143.

[b] Primus observavit Winslow, ligamentum ciliare atque iridem inæqualis esse latitudinis, sic ut major illorum latitudo minori palpebrarum cantho respondeat. Vide Act. Reg. Scient. Acad. an. 1721. p. 310.

[c] David Mauchard, cujus peculiaris de Mydriasi dissertatio, super hanc rem præcipuè, legi meretur.

[d] Loc. citat. §. 223.

rem majoremque bulbi partem occupat. Corpus est pellucidum, vitro fuso simillimum in modum sphaerae coactum, foveaque cristallinae lenti excipiendae destinata, in anteriore sua parte excavatum. Ex infinitis numero cellulis humore limpidissimo repletis constare videtur. Cellulae autem illae sunt ex membranula tenui, totum corpus vitreum involvente quam Vitream, Arachnoideam, Hyaloïdemve tunicam nuncupant; ejus interior lamella in interiorem illius crassitiem reflectitur. Pars vitrei corporis anterior sulcos plurimos radiatim dispositos, fusco nigrescente humore repletos, ciliaribusque processibus aptè respondentes, circa foveam cristallinam positos, exhibet. Cellularis vitrei corporis structura à Riolo [a] primum excogitata facillè demonstratur, si liquori leviter acescenti immergatur, vel quod melius est, gelu exponatur; tunc enim [b] in minores abit cristallos, tenui membranâ coercitos, quos summâ aciculâ à se invicem separare non impossibile est. Corporis vitrei cellulas inter se communicare concluditur, ex eo quòd oculus probè denudatus atque perforatus, brevi temporis spatio flaccescat, maximamque ponderis sui jacturam patiatur.

CRISTALLINUS humor, anteriore corporis vitrei foveolâ excipitur. Corpus est pellucidum & lenticulare, cujus posterior facies anteriore magis convexa deprehenditur. Ponè uveam collocatur, illiusque centrum pupillae centro respondet. Constat ex lamellis pellucidissimis [c], vasculosis, concentricis, eademque ratione dispositis ac diversa strata quibus cæpæ fiunt: tenui quoque includitur capsulâ membra-

[a] Tunica hyaloïdes inquit Riolo, *Anthropographia* lib. IV. p. 273; per substantiam humoris vitrei diffunditur, cujus interjectu concretus apparet, nec fluidus redditur, nisi frequenti sectione solutis filamentis, tunc in aquam fluentem liquefit. Similem ferè in corpore vitreo structuram admittit Morgagni adversar. *Anatom.* VI. p. 106; dicit enim illud constare ex humore quodam aqueo, tenuissimis creberrimisque membranulis, ferè ut intrâ uvarum acinos fieri vidimus, intersepto.

[b] Vid. *Act. Reg. Sc. Acad.* an. 1741.

[c] Lens optimè depurata, detineatur in aquâ fervente; crusta externa alba fiet, fibrosa & opaca. Deglubatur aciculâ lentè & patienter; adhibeatur microscopium; secedet tota in pelliculas infinite tenues, concentricas, quarum una post alteram separari poterit, omnes autem reticulatis nexibus conjunctæ erunt. Hæc sunt ipsamet Boërhaave verba. Vid. *Prælect.* illius *Acad.* tom. IV. pag. 188. Exteriora lentis cristallinae strata molliora esse observavit Morgagni adversar. *Anatom.* t. VI. pag. 90. Vidit quoque humorem quemdam aqueum, incisâ tunica cristalloïde in vitulis, bobus & ipsomet homine prodeuntem.

7

naceâ, atque duabus tunicæ vitreæ lamellis [a] efformatâ. Lentis cristallinæ colorem & consistentiam, pro diversâ ætate differre, coràm Regiâ Scientiarum Academiâ demonstravit D. Petit Medicus Parisiensis illustrissimus. Reliquam & anteriorem bulbi partem aqueus occupat humor, lymphidus, pellucidus, saporisque necnon odoris expers. Spatium cristallinum inter & corneam positum adimplet. Spatium autem illud, in duas partes seu cameras vulgò dividitur, anteriorem nempe, quæ præ uveam occurrit, & posteriorem quæ ponè uveam existere dicitur. Quidam cameras illas æquales supponunt, alii verò asserere posse arbitrantur anteriorem [b] quadruplo majorem esse, adedque minimam esse cameram posteriorem, cùm humoris aquei in utrâque contenti quantitas, vix grana quatuor pendat. Paucissimi tandem sunt, [c] qui nullam esse cameram posteriorem, uveamque cristallinæ lenti immediatè apponi contendunt. Huic sententiæ favere videntur sulci vitreo corpori insculpti, necnon sedula oculorum congelatorum inspectio, in quibus nullam aquei humoris partem uveæ postpositam observare unquàm potuit illustrissimus D. Lieutaud. Contrariæ, si quæ sint, observationes, nullius momenti sunt habendæ, cùm partium à morte collapsus variæque mutationes gelu inducæ, naturalem illarum dispositionem pervertant.

VASA plurima sanguinea, pluresque nervi bulbum subeunt, & variis illius partibus impertiuntur. Arteriæ ab internâ carotide originem suam trahunt, inde verò per foramen opticum & fissuram sphenoideam è calvariâ egressæ, posteriorem scleroticæ partem, subjectamque choroidem pervadunt, & utrique necnon retinæ distribuuntur. Ex ultimis illarum ramusculis fiunt vorticosa choroidis vala, circuli que arteriosi ponè uveam conspiciendi, quorum alter ligamento ciliari, alter verò pupillæ propior est. Totidè venæ ab ophtalmico sinu oriundæ prædictis arteriis respondent. Nervî à primo quinti paris ramo tertioque pari procedunt, mediante ganglio lenticulari; posteriorem quoque scleroticæ partem,

[a] Cristalloïdem tunicam, pro tendinè processuum ciliarium expansione habet Morgagni loc. cit.

[b] Heister compend. Anat. Not. 51 pag. 96. Petit A&S. Reg. Scient. Acad. an. 1722. 1728.

[c] Winslow A&S. Reg. Scient. Acad. an. 1721 Lieutaud, *Essais Anatomiques*. pag. 151. &c.

non longè ab optico nervo pervadunt, deindè ad ligamentum ciliare progrediuntur, ibique desinere videntur. Indè est sanè, cur D. Lieuraud suspicatus fuerit ligamentum ciliare plexum esse nerveum, cuius ope minores nervorum ramuli uveæ corneæque pellucidæ distribuuntur.

O C U L O R U M inflammatio proxima est Hypopii causa: quæcumque ergò ophthalmiam producere valent, plethora scilicet, prava humorum indoles, vasorum atonia vel coarctatio, oculorum vulnera, contusiones, ictus &c. inter remoras illius causas annumeranda veniunt. Hypopii diagnosi ex eo deducitur, quòd pus sub corneâ congeratur, initio parcum & albescens, deindè verò copiosius & morâ flavescens, idque paulatim ascendat, pupillæ limbum attingat, & spatium aqueo humori destinatum adimpleat. Incipiente morbo molestus fit luminis sensus, mox oculorum acies imminuitur, ægerque deindè colores vividiores, ipsumque lumen à tenebris vix discernit. Pupilla segniorem contractionis & dilatationis motum obtinet, eoque magis arctatur, quòd puris augetur quantitas. Adest plerumque simul ophthalmia cum dolore pullatorio in oculo vel tempore lateris affecti. Nauseis denique, febris symptomaticâ, insomniis, delirio & convulsionibus aliquandò supervenientibus, non minùs de vitâ, quàm de ægri oculo agitur. Fatendum tamen est posteriora illa Hypopii symptomata rariora esse, illumque morbum periculi minùs quàm incommodi afferre. Huic enim ut plurimum succedit visus imbecillitas, sive pendeat à cicatrice quâdam corneæ, sive ab humoris aquei pelluciditate imminutâ repetenda sit. Aliundè, si pus sibimet ipsi committatur, acriusvè existat, vel internam oculi structuram pervertit, vel corneam erodit, tuncque pellucidæ corneæ collapsus & præternaturalis illius cum uveâ cohesio, necessarium humoris aquei effluxum sæpius consequuntur.

H Y P O P I I curatio diversa est pro diversis circumstantiis. Si minor sit puris sub corneâ congesti quantitas, paucioraque urgeant accidentia, illa topicis discutientibus, sub cataplasmatibus, fotûs, colliriivè formâ admotis ut plurimum obtinetur. Levis quoque oculi affricus ad eundem scopum conducit. Hanc curandi rationem, quam maximo cum successu pluries adhibuisse, celeberrimo [a] Mauchard

[a] Videatur illius dissertatio de Hypopio.

9

testatus est Wollhousius, à Justi Ophthalmiatri Romani methodo non multum differre videtur: repetitis namque capitis motibus & succussionibus, Hypopion solvere noverat, teste Galeno. Simile quid observasse dicit Heisterus [a]. Cum enim vir quidam post institutam Hypochimatis operationem, sanguinis sub corneâ collectione laboraret, iterque satis longum in rhedâ suscepisset, sanum & ab omni incommodo liberum illum rediisse, vidit autor præstantissimus. Si verò Hypopion gravioribus stipetur accidentibus, media quæcumque, præter operationem respuit. In eo autem consistit, ut pus sub corneâ collectum, idoneâ incisione educatur. Illam instrumentis à D. Daviel pro aperiendâ corneâ, nupèr excogitatis, facile celebrandam esse censemus. Ut instituitur, æger in sedili luci opposito collocari debet, ejusque caput ministro à tergò stante contineri: deindè, velato prius oculo sano, Chirurgus ex adverso positus superiorem oculi affecti palpebram elevare jubet, inferioremque sinistram deprimat; cum anticipiti & incurvâ acu mediam & inferiorum corneæ partem dextrâ pervadit, latum vulnus instrumenti aciem ab uveâ declinando, illi infligit, forficibusque incurvis aperturam hinc & inde dilatat. Veteres corneæ sectionem, lanceolâ armatâ celebrabant, ne scilicet, instrumento profundius adactò, subjecta læderetur uvea. Hæc pluribus etiâ nunc authoribus commendatur, licet corneæ crassitiem pervadere, sufficientemque incisionem ob figuræ suæ rectitudinem perficere eam non posse certissimum sit. Job-à-Meckreen [b] Chirurgus Amstelodamensis peculiare instrumentum, brevius, acuminatum, globulo non longè à cuspide armatum, manubrioque longiore instructum excogitavit. Globulus quidè aciei vicinus majori illius penetrationi obstare debet, verùm partes incidendas Chirurgi oculis subducit. Wollhousius tandè, Heisterus & Platnerus acum setaceis celebrandis aptam, incurvam, triangularique acie conspicuam proponunt, cujus crassities & figura, summæ corneæ resistentiæ minùs accommoda esse videntur. Peractâ incisione, pus cum aqueo latice prorumpit; quòd si difficiliter effluat, paucâ aquâ egelidâ syphonis ope injectâ, prono vè ægri decubitu, educendum est. Vult Heisterus ut leviori bulbi compressione illud eliciatur, idque syphonis ope

[a] Chirur. part. II. Sect. II. Cap. IX.

[b] Observ. Chirur. Cap. X. pag. 63.

sugendum esse aliū arbitrantur. Timendum verò foret, ne vel levissimā compressione lens cristallina è suā sede dimoveretur, uti in Hypochimatis extractione fieri novimus, Wolhoufioque accidisse refert illustriss. [a] Mauchard, ipsum vè corpus vitreum sudione attraheretur. Summa deindè quies, diæta tenuis, venæ sectiones, potusque refrigerantes & hypnotici &c. commendantur pro renatâ, vulnusque defensivis & discutientibus medicamentis, ad cicatricem juxta cognitæ artis leges, perducitur.

HYPOTION sibi met-ipsi commissum, vel internam oculi structuram pervertere, vel corneam erodere, sicque viam sibi parare diximus. Posteriore hoc in casu, aqueus humor penitus effluit, pellucidaque subsidens cornea super uveam concidit, & cum illâ sæpius coalescit. Affectus ille Synechia dicitur. Irregularem pupillæ figuram conciliat, nimiamque parit illius dilatationem. Indè facile deducere est cur vilus in illo morbo plus minus sibi constet, impediatur & molestus evadat. Hæc symptomata præsentem synechiam satis indicant; certius autem cognoscitur, si cornea maculas exhibeat, irisque pro diverso luminis gradu dilatari & constringi nequeat. Quòd si verò majores corneæ maculæ iridem Chirurgus subducerent, oculi à latere inspectio, internam illius dispositionem luculenter demonstraret. Synechia multiplici ratione curari valet. Qui primus illam descripsit illust. Demours. [b] maculam corneæ, adhæSIONIS loco, caustici lapidis ope inducendam esse arbitrat. Hæc operatio summam prudentiam requirit: timendum enim est ne solutæ medicamenti particulæ latius serpent, totamque corneam inficiant. Leviter ergò admovendum est, atque oculus vice quâlibet aquâ tepidâ debet abstergi. Instrumentum quoque, in modum cochlearis efformatum medioque foramine pervium, nec non oculo affecto superponendum, idem Autor proponit. Vitrum fuscum aut subviride, quo lumen infringeretur, eosdem sanè præstaret effectus. Aliundè corneæ cum uveâ adhæSIONEM ancipiti acu per minorem oculi canthum, in humoris aquei cameram immisâ solvere non impossibile est. Hanc operationem mente jam dudum affecti fuëramus, cùm illam in peculiari celeberrimi Mauchard Dissertatione de Synechiâ propositam vidimus, atque ab Ophthalmiatro Gallo cum suc-

[a] Loc. cit.

[b] *Essais d'Edimbourg*, tom. I, ad calcem.

cessu celebratam fuisse didicimus; solutâ præternaturali partium cohesione vulnus ad cicatricem perducendum est, cavendumque simul ne morbus recurrat. Cum enim cornea humoris aquei effluxu subsideat, super uveam denuo concidit, mutuusque fit inter illas contactus, donec novus affluens humor, debitam oculo formam conciliet. Contactus autem ille nullius erit momenti, si sanus oculus luci & tenebris per viginti quatuor horas pluries exponatur, sicque alterni contractionis atque dilatationis motus in utrâque pupillâ cieantur. Synechiam hâc methodo faciliè prævertendam esse patet, quotiescumque cornea sponte aperitur; naturalem tamen illius aperturam lanceolâ, stili sulcati Platneri, acûsvè incurvâ à celeberrimo D. de la Faye in suis super Dionysium notis propositâ ope, hoc in casu dilatare, satius nobis videretur.

QUÆ gravioribus oculorum contusionibus, cristallinæque lentis in Hypochimate depressioni succedunt sanguinis sub corneâ congestiones, ab Hypopio vix differunt, earumque curatio topicis solventibus aut corneæ sectione tentanda est, prout major vel minor adest sanguinis congesti copia, paucioraque vel graviora urgent accidentia. Corneæ quoque sectio celebranda foret, si tantum sanguinis in anteriorem oculi cameram effunderetur, ut illius resolutio naturæ vires superare videretur, licet nulla forent accidentia [a], maxime hydrargiri quantitas post venereæ luis curationem sub corneâ colligeretur uti Wolhoufium observasse dicunt.

[a] Felix illius methodi exemplum habetur in Actis Reg. Scient. Acad. an 1709.

Has Theses, DEO DUCE, & Præsede M. PETRO BASSUEL
Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurg.
Acad. Consiliario, Professore & Demonstratore Regio, nec-
non Antiquo Scholarum Moderatore, tueri conabitur PETRUS-
STEPHANUS LE MAIRE, Versaliensis, Artium
Liberalium Magister.

de Versailles

P A R I S I S,

IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS.

Die Martis decimâ quintâ, anno salutis 1757, à sesquisecondâ
post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobiâ.

